Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

contra me insania debachatus eras
prophetis uaticinantibus; Sic locutus per quos
olim dictum esse te noueram. In celum
ascendam super sydera celi ponam thro-
num meum; eroque similis altissimo. Ita
que furor tuus et superbia tua peruenit
in aures meas; et nequaquam te ultra
portabo. ut intelligas quod potuisti
non tuis te potuisse uiribus sed meo
arbitrio. Merebantur enim impie gen-
tes et infructuose arbores; ut per te quasi
securim et serram meam succiderentur
et caderent. Itaque ponam circulum
siue chamum in naribus tuis ut blasphe-
mantium ora constringam. et nequaquam
ultra talia loqui audeas. frenumque ini-
ciam labiis tuis. quod tuam ferociam domi-
net. et te reducat in assyrios. Qua trans-
latione; et in psalmis contra impios
scriptura abutitur. In freno et chamo
maxillas eorum constringe; qui non ap-
propinquant ad te. Tibi autem hoc sig-
num erit. Comede hoc anno que
sponte nascuntur. et in anno secundo po-
mis uescere. In anno autem tertio semi-
nate et metite. et plantate uineas.
et comedite fructum earum. Et mittet
id quod saluatum fuerit de domo iuda.
et quod reliquum est radicem deorsum.
et faciet fructum sursum. quia de
ierusalem exibunt reliquie. et saluatio
de monte syon. Zelus domini exerci-
tuum faciet istud. Omnia hec propheta per
nuncios ad ezechiam loquitur. quia
sennacherib dixerit quod ei dominus re-
sponderit. nunc ad ipsum sermo-
nem facit. ne forsitan dubitaret
uentura que dicta sunt. Et ideo uel
maxime prophete apud populum sermonum su-
orum habebant fidem quia non solum de his
que multa post secula futura erant. sed etiam
que in continenti. et post non grandem tem-
poris spatium essent implenda, memorabant. et quod
intra biennium et rex assirius interiret. et
urbi ierusalem securitas redderetur. Hoc
erit inquit signum eorum que futura pronuncio
quod hoc anno ea comedas que sponte nas-
cuntur: siue iuxta lxx que prius seueras.
anno autem secundo iuxta symmachum pomis
uescere. siue iuxta eosdem. que de prete-
ritis segetibus et cadente in terram se-
mine pullulauerint. In anno autem
tertio fugato iam assyrio. et obsidione
laxata. seminate et metite. plantate
uineas. et fructus earum comedite. Si
quidem parue urbis huius reliquie. que
nunc hostili uallantur exercitu. et eua-
suras se esse non credunt. tantam recipi-
ent rerum omnium habundantiam ac fe-
licitatem. ut instar arboris alta radice
fundate pomis densissimis impleantur.
De ierusalem enim et de monte syon egre-
dientur reliquie et implebunt terram
iudeam. non suo merito. sed dei misericordia; immo
zelo quo aduersus impios zelatus est
populum suum. Propterea hec dicit
dominus de rege assyriorum. Non introibit
ciuitatem hanc. et non iaciet ibi sagit-
tam; nec occupabit eam clypeus.
et non mittet in circuitu eius aggerem.
In uia qua uenit per eam reuertetur.
et urbem hanc non ingredietur dicit
dominus; protegamque ciuitatem istam et saluabo
eam propter me et propter dauid seruum